



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Heribertus Ep. 16. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**



178 VITÆ SANCTORUM. 16. *Man.*  
fecerunt radii; qui precantem persape  
cinxerunt, aliaque cum admiratione fa-  
cta. Et forte cælum imbres suos terris  
subduxerat, cum ecce HERIBERTUS,  
supplex ad Divorum pulvinaria factus,  
vix oculis pluit, cum cælo DEUS. Tunc  
etiam euntem columba comitari visus  
est, & ad extremum in calos sublimis a-  
bire. Eò per infima quæque munera cha-  
ritates tendere HERIBERTUS. Ita-  
que pauperulæ filium ipse sacro fonte  
voluit mergere, alterum tollere mer-  
sum, pauperisque cœnæ eodie conviva  
esse, docturus nostram ætatem, parvo  
(si velint) opsonare etiam insulas posse.  
Jam monasterio construendo cum lo-  
cum circumspiceret, hunc Deipara ipsa  
signavit, ut viderent Mariani, quæ ma-  
ximè ædificia VIRGO probaret. Sub hæc  
cum infensus HERIBERTO S. Henr.  
Imp. esset, castigatus à cælo non dubita-  
vit cum hostili animo purpuram exuere,  
& ad ipsos Pontificis pedes descendere,  
veniam osculis lacrimisque rogantibus.  
Jam moriturus hic heredes scripsit (ade-  
ste testamento Pontifices) fratres suos,  
non quos caro sed pauper Christus ger-  
manos fecerat, quosque ille non fratres  
modò dicere, sed Dominos etiam est solitu-  
s. Tunc demum in cælum abiit, non a-  
berraturus, quia & Divorum choros ob-  
vios habuit, & columba illi jam olim  
viam monstravit. *Ex Sario.*

*Manus*

17. Mart. VITÆ SANCTORUM. 179

*Manus pauperis est Gazophylacium Christi; Da ergo homo pauperi terram, ut accipias calum: da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum: Da pauperi, ut des tibi; quia quicquid pauperi dederis, tu habebis, quod non dederis, habebit alter. S. Petr. Chryf. serm. 8.*

S. PATRICIUS EP. 17. Martij.

**P**ATRICIUS puer servitute servavit Hibernis, magno horum bono: è servitute enim dominos suos servus eripuit. Id hoc modo factum. Parvulum è Musatum sinu latrunculi in Hiberniam abduxerunt. Ibi suos pascere jussus est nobilis pufio. Agnosceres sanè margaritam ad pedes porcorum abjectam. Ceterum è serobe, quem porci fecerant, lytrum egerere Angelus jussit. Ergo in patriam redux in disciplinam SS. Martini & Germani Antisiodorensis se dedit. Post hæc, ut Hibernos Christo adjungerit, suaserunt somnia, in quibus & accipere ex Hiberniâ epistolas supplices, & necdum natorum Hibernorum voces plorantium opem audire sibi videbatur. Euntem igitur in provinciam suam, insulâ Cælestinus Pont. donavit. Anachoretas baculo quem, quod ex manu JESU accepisset, jussusque PATRICIO dare fuisset, ab eodem, JESU baculum dixit. Ita armatus in Hiberniam venit, & æquis auribus tam diu auditus à pluribus est, quoad de inferorum suppliciis dicere: